



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

§. 6. De exercitio Charitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

Quæ cum ita sint, quid restat infirmo, nisi ut spe tantorum bonorum se fulciens, audito de morte sibi imminente nuntio, cum exultatione dicat illud Psal. 121. *Latatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus.* Dicat tamen sine præsumptione, & cum corde contrito & humiliato.

§. 6. *De exercitio Charitatis.*

Quod attinet ad charitatem, ad illius exercitium, quod est amare Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum, inflammanda est voluntas ponderatione titulorum, quibus ad illud omni iure obligamur.

Primus est, Dei bonitas & maiestas, qua dignus est amari amore infinito. Cuius præstandi, quia capaces non sumus, finitus nobis imponitur supra omnem amorem creatum, seu, ut dici solet, qui sit super omnia, ita ut non modò nõ amplius, sed nec tantum quantum ipsum vllam creaturarum amemus; ut dicere liceat cum Dauid in Psal. 7. *Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terrã? Deficit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.*

Secundus titulus est, quòd Christus prior dilexerit nos, iuxta illud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud in Epist. 1. eiusdem Ioannis cap. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Quam, quæso, indignum esset tantum amatorem non redamare ex toto corde, & tota anima, & omnibus viribus! Id igitur studeamus obrinere ab ipso Christo illa affectuosâ D. Bonaventuræ oratione. *Transfige dulcissime Domine IESV Christe, medullas & viscera*

viscera anima mea, suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenâq; & Apostolica sanctissima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea. solo semper amore & desiderio tui: te concupiscat & deficiat in atria tua: cupiat dissolui, & esse tecum. &c.

Tertius titulus est, beneficiorum à Deo acceptorum magnitudo & multitudo, tam communium, creationis, prouidentia, redemptionis iustificationis & futurae gloriae (quibus alia innumera continentur,) quam particularium cuiuscunque personae. Quis enim talem ac tantum benefactorem non amet toto affectu, ac dicat ex Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum, & omnia quae intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Dominum & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Unde cauendum est, ne in nos tanquam bestiis deteriores quadret illa reprobatio horrenda apud Esaiam c. 1. *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

Quartus titulus est, Christi passio, quâ maius amoris erga nos sui argumentum desiderari non potest, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Si sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in*

eum non pereat, sed habeat vitam aternam. quàm indignum est aliquid præ illo amare? Eia, bone IESV, misericorditer mihi concede, vt amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Eia & tu Mater misericordiæ, fonsque amoris, fac vt ardeat cor meum in amando Christum, vt tibi complaceam. Atque mihi viuere Christus ipse sit, & mori lucrum, imitatione D. Pauli, *ex c. 1. ad Philipenses.*

Quintus titulus est, Dei in nos amoris perpetuitas; de qua Ierem. cap. 31. *Charitate perpetua dilexite, ideo attraxi te miserans tui.* Et Psal. 102. *Misericordia Domini ab aeterno: & vsque in aeternum, super timentes eum.*

Sextus est, necessitas eiusdem amoris. Namque non nisi præceptorum diuinorum obseruatione conceditur in regnum cœlorum ingressus, dicente Domino Matth. 10. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Atque eorum primum & maximum (*ex sequenti cap. 22.*) est de amando Deo ex toto corde, ac tota anima, omnibusque viribus. Neque opus vllum meritorium esse potest, nisi fiat amore Dei, *ex priori ad Corint. c. 13.* In spiritu humilitatis igitur, & animo contrito per merita sacratissimę Passionis Christi obnixè petamus à Deo talis amoris inæstimabile donum, per quod non iam viuamus nos; viuat verò in nobis Christus.

Urgeri debet infirmus, vt, vt amori Dei adiungat amorem proximi, condonando omnibus à quibus læsus est, ac pro eis oret, imitatione Christi in cruce orantis pro suis crucifixoribus; & D. Stephani precantis pro lapidantibus, ne statuantur eis illud peccatum.